



SEBASTIANVS I. LVSTITANORVM REX XVI.

Ioanni superioris Regis filio posthumus natus est Sebastianus ann. 1554. ex Ioanna Austriaca Caroli V. Imperatoris filia. Extincto Ioanne Rege, dum Sebastianus puer adolueret, primum a qua Catharina, deinde Henrichi Patruus Cardinalis Lusitaniam administrarunt. Iis imperantibus à Mauris in Africa acri trimum mensium obsidione Mazagani ca Arx tentata frustra est. In Oriente aduersus Mahometanorum, atque Indicorum Regum conatum defensæ sunt eodem tempore Goa, Citalum, Chale oppidum, atque Malacca; ueroque loco innumerabiles hostium copias pauci Lusitani sustinuerunt. At Sebastiano, cum anno ætatis 14. rerum potius, us statim uirtutibus eminere cœpisset, quæ ab optima natura, atque egregia disciplina expectari poterant; immensum quoddam gloriæ studium exitio fuit. Eo compulsus nulla nondum suscepta prole, neque inito matrimonio, spreto omnium consilijs, in Africam traiecit. Ibi cum rerum magis inopia, quam temporis opportunitas prælii suasisset, fessos longo itinere Lusitanos Mauri multis partibus plures miserè occiderunt. Prid. Non. Sext. an. 1578. pugnati est Cruenta quidem Barbaris ipsis uictoria, multis eorum millibus desideratis, inter quos Molimus Ab delemethus, ac Mahometes Reges. Sed quid hoc ad Lusitanorum calamitatem, amisso exercitu, cæso in acie Sebastiano in ipso ætatis flore, quippe qui 24. ætatis annum solum attingisset. Eius cadauer post pugnam reperiunt, ac multorum testimonio pro uero habitum prope Olyssiponem ad D. Hieronymi Regio sepulcro conditum est.